

28

conatus est, imaginem Dei in corpore sitam esse, abusus pro palliando errore, effato divino: Gen I, 26. *Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram.* Quem autem, nisi planè ignarum, latet, rudes pariter Monachos Ægyptiacos, qvibus Anthropomorphitarum nomen in peculium cessit, ad idem Geneseos dictum, tanquam primarium fundamentū, ac deamatum quasi palladium provocasse, id quod suis confirmant testimoniis *Basilius Hom. X. Hexaëm, Socrates & Sozomenus II. cc. vid.* Gerhard. in Exeg. Loc. II. §. 116. p. 258. Petav. l.c. §. X. p. 88. Jam, quæso, quodnam Audæum inter atque Anthropomorphitas intercedit differentiæ momentum? *Anthropomorphitæ* Deo corpus & membra corporea vendicare in deliciis habebant. Inficias id ire sustinebat Audæus, acriter tamen propugnabat, imaginem divinam in corpore humano consistere, illam cum Deo similitudinem in corpore conspicuam, ex pari cum Anthropomorphitis fonte, sc. Gen. I. 26, derivans. Ipse Petavius l.c. rem relinquit in suspenso, scribens: *Postremi commemorandi sunt Anthropomorphitæ, sive ab Audio, ut pleriq[ue] putant, oriundi; sive ex ejus opinione stolidi erroris ansam nacti, uti Deo humani corporis ac membrorum speciem attribuerent.* Nec est, quod ad comendam Audæi causam, edisseras, ipsos nostrates Theologos ex imagine divina, corporis dotes, v.g. pulchritudinem, deducere, manifesto indicio, juxta illos imaginem Dei ex corporis elegantia elucidere. Dignum enim est, qvod audiatur, peregregium Academiæ nostræ decus, Magnif. D. D. Fechtius Noctium Christian Exerc. X. §. 49. p. 480: *Constituerunt illi (Anthropomorphitæ) similitudinem inter Deum hominemq[ue] primum conditum in ipsa corporeorum membrorum ratione, ut qualia membra gereret in cœlis Deus, talibus eundem referret in terris homo.* Que crassa philoso- pbns.